



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titvlvs XLIII. De Presbytero nondum baptizato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

TITVLVS XLIII.

De Presbytero nondum baptizato.

CAPUT I.

Ex Concilio apud (a) Compendium.

SI quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.

NOTÆ.

1. (a) **C**ompendium.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & apud Burchardum lib. 4. Decreti, cap. 74. Ivonem Carnot. part. 1. Decreti, cap. 268. Gratianum in cap. si quis 60. 1. quest. 1. & meminit Innocent. III. infra, in cap. veniens: idest in Synodo habita in palatio Regis Caroli apud Compendium. Unde textus hic reperitur inter Capitularia Caroli lib. 6. capit. 93. in hæc verba: *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, & ordinetur iterum. & omnes, quos prius baptizavit.* Illa autem verba: *Et omnes, quos prius baptizavit,* iuste omittuntur in præsentia Raymundo, licet à Decretistis referantur; quia baptizatus non accipit gratiam à ministro, sed ab ipso sacramento; ideo à quocunque, etiam Judæo, vel Pagano administratus, dum sub debita, & legitima forma, & cum intentione faciendi quod Ecclesia facit, iterari non debet: quod & cau-

tum video in ipsis Capitularibus lib. 5. capit. 4. ibi: *Si quis baptizatus est à presbytero non baptizato, & sancta Trinitas in ipso baptizato invocata fuit, baptizatus est, sicut Sergius Papa dicitur impositione vero manus indiget.* Gregorius Episcopus Roman. & Joannes Sacellarius sic referunt. Ubi pro Gregorio legendum est, *Gregorius*, ut in ipso Concilio Compendiensi habetur. Gregorius hic, & Joannes Sacellarius fuerunt Legati Stephani Papæ ad Pipinum, quorum ipse Stephanus meminit in epistol. 2. Codicis Carolini, quem edidit Grethicus. Unde rectè Raymundus omisit in præsentia ea verba: *Et omnes, quos ipse baptizavit.* Quia illi nullo modo sunt rebaptizandi, ex proximè dictis; imò omnia gesta ab ipso Presbytero non baptizato, ob publicam utilitatem sustinentur, argumento textus in l. Barbarius, de offic. Prætor.

Commentarium hujus textus dabimus infra, cap. 3.

CAPUT II.

Innocent. III. Episc. (a) Cremonens.

Apostolicam Sedem consulere decrevisti. Et infra: Inquisitioni tuæ taliter respondemus: Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solum, & cælestis patriæ gaudium esse (b) adeptum asserimus incunctanter. Lege super octav. lib. August. de (c) civit. Dei, ubi inter cætera legitur: *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Librum etiam (d) D. Ambrosii de obitu Valentianiani, idem asserentis revolve. Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces, (e) hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato.

NOTÆ.

1. (a) **C**remon.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 2. sed ut notavit Ant. Augustin. in notis ad hunc textum, legendum est, *Innocent. II.* nam Decretales epistolæ Innocentii III. tantum reperuntur in tertia aut quarta collectione, juxta ea, quæ adduxi in appa-

ratu ad hæc commentaria. Innocentius II. antea Gregorius dictus, monachus Benedictus, electus fuit in summum Pontificem die xiv. Februarii anno 1130. ut referunt Baronius, & Corjo-lanus in eodem anno. Ludovic. à S. Carolo in Biblioth. Pontif. lit. I. Cremona est in plaga occidentali, climate septimo, ac regione salubri gaudet; sed protendens obliquè in longitudinem à Me-

à Meridie ad Septentrionem, & in latitudine ab ortu ad occalum, spatio passuum circiter bis mille quingentorum: de cuius situ, & origine, & amplitudine plura tradit Andreas Scotus in *itinerario Italiae*, lib. 1. fol. 216. jam olim Ecclesia Cathedrali decorata erat, siquidem Eustachius ejus Præsul. subscripsit Synodis Romanis 3. & 6. sub Symmacho, ut refert Carolus à S. Paulo in *Geograph. sacr.* fol. 62.

2. (b) *Esse adeptum.*] Unde cognoscitur, falsam esse sententiam existimantium, non dari beatitudinem ullam usque ad finem mundi, & per consequens nec judicium particulare cujuslibet decedentis; quam expressius damnavit Benedictus XI. in extravaganti relata à Castro *adversus hæreses, verbo Beatitudo.* Eugenio Papa in Concilio Florent. *sess. ult.* Eam refellunt latè Bellarminus *de Beatitudine* lib. 1. Serarius *lib. 1. contra Puvium*, cap. 1. & 2. Theoph. Raynaud, *tom. 2. in tract. Christus Judex*, cap. 6.

3. (c) *De civitate Dei.*] Sententia, quam in præfenti Innocentius Augustino tribuit, non reperitur in ullo ex libris 22. quos S. Doctor scripsit de civitate Dei; extat tamen in lib. 4. de baptismo contra Donatistas, c. 22. & refertur in cap. baptismi vicem, cap. non dubio de consecr. dist. 4. & citatur à D. Bernard. *epist. 77.* & etiam lib. 1. de anima & ejus orig. cap. 11.

(d) *B. Ambrosii.*] In monodia Valentini. ferè in fine, cujus verba statim dabimus.

4. (e) *Hæstus Deo.*] Non levis controversia est apud Interpretes, immò & apud Ecclesiam PP. utrum Missæ sacrificium pro catechumenis offerri possit? ac eorum animæ in eorum hoc sacrificio juvari valeant? Negant ulla ratione prodesse hoc sacrificium catechumenis S. Chrysostomus *homil. 3. ad Philipp.* ferè in fine, verbis illis, post præmissam summam hujus sacrificii utilitatem erga defunctos, quam ab Apostolis edocta est Ecclesia. *Noverant (Apostoli) hinc multum ad vitam sanctos lucrari accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus suis manibus passus ac cætu sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de eis, qui in fide discesserunt. Catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quare verò hoc licet pauperibus pro sps dare, atque hinc aliquid recipiunt refrigerationis. Pult enim Deus nos nobis mutuum auxilium offeramus. Ecquid enim aliud causa sit, quam obrem pro pace, & bono mundi statu precari iusserit? quam obrem pro omnibus? Nam sic quidem inter omnes sunt etiam latrones sacrilegi, fures, atque alii sexcentis sceleribus malis: & tamen pro omnibus precamur: erit enim fortasse quadam*

ipsorum conversio. Quemadmodum igitur pro viventibus istis precamur: qui nihil à cadaveribus differunt: ita pro illis etiam precari licet. Eiusdem sententia videtur esse S. August. *lib. 1. de anima & ejus orig. cap. 11.* Nam profiteretur, sacrificium christianum pro nullis offerri, nisi baptismi; nec agit dumtaxat de parvulis morte præventis prius quam lustrarentur fonte sacro. Nam quamvis is sit primarius eo loco D. Augustini scopus, contra fatuitatem contrariam hæretici, quem eo loco refellit; tamen initio capituli universalem doctrinam tradit in hunc modum: *Salva fide Catholica, & Ecclesiastica regulâ, nullâ ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis, & sanguinis Christi, tanquam per huiusmodi pietatem suorum ad regnum celorum, quò perveniant, adjuvantur.* Contrarium tamen docuerunt D. Ambrosius in præfenti citatus, ubi agens de duobus germanis Imperatoribus, Gratiano, & Valentino, quos habebat charissimos, & ambo excesserant Catechumeni, sic ait: *Beati ambo, si quid mea orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innocuos nominare? Quis veritatis commendationis prosecutione complecti? Si oblitus fuero te, sancta Hierusalem, hoc est sancta anima, & pacifica germanitas, oblitus cur me dextera mea.* Hanc sententiam D. Ambrosii amplectitur Innocentius in præfenti, & in cap. *debitum de baptismo*, perperam repugnante Gennadio *lib. de Ecclesia dogm. cap. 73.* & defendit Theoph. *tom. 15. in Heterocl. punct. 3. quæst. 2.* Omnia distinctione inter catechumenos audientes, & competentes, quam agnoverunt Bellarm. *lib. 2. de missa, cap. 6.* Henriquez, *lib. 9. summa cap. 15. num. 5.* Scotus *lib. 2. de Missa, cap. 2. num. 5.* Et licet negari non possit SS. Chryost. & August. negasse offerri posse fructuosè hoc sacrificium pro catechumenis; tamen cum habeamus pro contraria sententia declarationem Innocentii III. profitentis, id esse conforme SS. PP. non est cur negetur hodie catechumenis hoc præsidium.

COMMENTARIUM.

5. Virtute baptismi flaminis eodem modo, ac ratione fluminis hominem justificari, ac per consequens salvari posse docetur in cap. 3. hoc tit. & ita catechumenum in catechesi decedentem salvari, latè probavi *lib. 3. Concil. III. cap. 60.* ubi exponit Mendoza caput catechumenum, de consecr. dist. 4. Exhibi aduuctis præfens commentarium petendum est.

CAPUT III.

Innocent. III. Ferrariensi (a) Episcopo.

Veniens ad Ap. Sed. dil. filius later præsentium, lachrymabili nobis insinuatione monstravit, quod cum per singulos ordines usque ad gradum sacerdotii ascendisset, comperit tandem pro certo, quod non fuerit secundum formam Evangelii baptizatus. Unde nos cum per ven. f. n. (b) Tuscul. Episcopum ritè fecimus baptizar; & cum super ordinibus coram nobis fuisset diutius disputatum, quidam in eam declinaverunt

clinaverunt sententiam, ut cum baptismus sit fundamentum sacramentorum, ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud sacramentum: quoniam ubi fundamentum non est, superaedificari non potest. Porro cum quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi; & qui Christum habet per fidem, etsi baptismum non habeat, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus, superaedificari posse videtur, sicut salutifera opera, sic & qualibet Ecclesiastica Sacramenta, cum illud non sit generaliter verum: neque de novis, neque de veteribus sacramentis, quod baptismus sit fundamentum illorum: quoniam & sacramentum conjugii, & (c) Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest. Præterea sacramentum Ordinis, non solum Pontificalis, sed Sacerdotalis etiam, & Leviici, ex institutione sua præcessit baptismum, per quod forsitan videtur, quod ante baptismum hujusmodi ordines possent rite conferri, maxime his qui baptizati creduntur. Quia verò in Concilio apud Compendium legitur constitutum: Si quis presbyterorum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Nos circa latorem præsentium ipse per singulos ordines usque ad sacerdotium promovete procures, & permittas eum in sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum; nec male de sacramento sentitur, cum illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit. Et certe de illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter (d) præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.

NOTÆ.

1. (a) **[Errariensis.]** Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* Hugoni videlicet, qui Ferrariensem Ecclesiam rexit ex anno 1196. usque ad annum 1212. ut refert Vghellius *tom. 2. Italia sacra, fol. 576.* De Ferrariensi Ecclesia egi *in cap. cum M. de consti.*
- (b) **[Tusculana.]** Nicolaum videlicet. De Tusculana Ecclesia egi *in cap. . .*
2. (c) **[Eucharistia.]** Materialiter, non fructuose, exponunt repetentes hæc: sed verius est, etiam hæc verba afferri in vim disputationis pro opinione eorum, qui tenebant, baptizatos baptismi flaminis posse recipere alia Sacramenta, Conjugii videlicet, Ordinis, & Eucharistiæ, ut expoluerunt Lugo *de Eucharist. disp. 13. sect. 1.* Henao *eodem tract. disp. 14. sect. 4.*
3. (d) **[Præsumitur.]** Licet quis baptizatus non credatur, Alciatus *lib. 4. de præsumpt. cap. 1.* Acuna *in cap. . .* Tamen cum inter catholicos natus & educatus est, creditur baptizatus, ut docent ultra congestos à Barbosa hic, Gregorius Lopez *in l. 3. tit. 4. part. 1. gloss. 4.* Alexand. Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 7. de assassinis num. 3.* ideoque in Tribunalibus S. Inquisitionis talis in hæresim lapsus punitur. Cantero *qq. crimin. cap. 1. num. 5.* Carena *de offic. Inquisit. 2. p. tit. 1. de hæresi, Vela de delictis, cap. 14. num. 4.* Ricciulus *de jure person.*

COMMENTARIUM.

4. **Q**uo modo ecelum baptismi aperiri dicitur *in cap. 3. §. sicut. §. sed adhuc, cap. penult. de baptis. sic ad alia sacramenta veluti januam baptismum esse, constat ex cap. præter, §. penult. 32. dist. cap. si quis confugerit 52. cap. si quis per ignorantiam 59. 1. quest. 1.* & qui per eam ingressus Ecclesiam non est, ad ordines ascendere non

potest, nec etiam alia sacramenta recipere. Concilium Florentin. *in decret. union. ibi: Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vite spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficiuntur Ecclesie.* Facit ratio adducta à D. Thoma 3. p. quest. 35. artic. 3. *in corpore,* his verbis: Nihil potest aliquis recipere, cuius receptivam potentiam non habet: per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum; unde qui characterem non habet, nullum aliud sacramentum recipere potest, & sic character ordinis baptismalem characterem præsupponit: cum enim baptismus sit generatio spiritualis, qui non est generis in Ecclesia, quomodo poterit cum aliis fidelibus ad spiritualia concurrere. Unde certa, & indubitata est sententia, quæ in præfati Innocentio III. tantum probabilis visa est, tum ob auctoritatem Concilii Florentini, tum ob communem consensum Theologorum, qui Innocentium sequuti sunt, asserentes, non baptizatum incapacem esse ordinationis, & cæterorum sacramentorum. Probat Hallierus *de sacris elect. cap. 3. fol. 522.* Nec obstant fundamenta contrarie sententiæ ab Innocentio in præfati expensa. Non primum, pro cuius solutione dicendum est, non baptizatum per fidem Christi membrum fieri, quantum ad adhesionem interiori Christo, quæ sufficit ad meritum, & privatum cuiuslibet Christiani statum; non autem quantum ad adhesionem cum Christo exteriori, & in ordine ad totum corpus Ecclesie, cujus omnia membra exteriori sacro signo in unum corpus Ecclesie, seu tessera aliqua confederantur, & spirituali signaculo per illud sensibile signum animæ impressum, jus ad reliqua sacramenta, & communia Ecclesie bona sortiuntur. Licet enim quoad remissionem peccati originalis, & ut homo salvari possit, æquales sint baptismus fluminis, flaminis, & sanguinis; tamen

tamen in aliis differunt, veluti quia in baptis-
 mus fluminis, & sanguinis non datur essentia sa-
 cramenti; nam in eis nulla adest verborum for-
 ma, ut in baptismo fluminis: nec in baptismo
 fluminis adest lignum externum sensibile, ut in
 fluminis baptismo, quod est Sacramentum, cap.
 unic. §. una verò, de sacraunt cap. ad abolendam,
 de hereticis. Trident. sess. 7. de sacrament. can. 1.
 Deinde quia baptismus fluminis, seu sanguinis
 non imprimit characterem, ut facit baptismus
 aquæ. Trident. sess. 7. can. 9. probat Hurtado
 de vero martyrio tract. 7. resol. 49. Deinceps quod
 nec martyrium, nec contritio sunt janua Sacra-
 mentorum, sicut baptismus aquæ. Trident.
 sess. 14. cap. 2. nec excludunt necessitatem reci-
 piendi baptismum aquæ si haberi potest, cap.
 catechumenorum 37. de consecr. dist. 4. Unde cap. 10.
 actuum Apost. refertur, Cornelium iustificatum
 postea recepisse baptismum: unde licet per
 baptismum fluminis quis iustificetur, non tamen
 ideo potest alia sacramenta recipere: nec etiam
 Eucharistiæ, aut matrimonii exempla in præ-
 senti adducta quicquam faciunt; nam matrimo-
 nium cum habeat naturam contractus, non ut
 sacramentum, sed ut contractus juris gentium,
 etiam apud Infideles datur. Eucharistia etiam
 materialiter, & de facto ab eis recipi potest;
 sed non licite, & fructuose, quod probat D. Ba-
 silius homil. 13. seu in exhortatione ad bap-
 tismum, illustri exemplo Israelitici populi, qui
 neque aquam de petra bibere, neque celestem
 panem manducare potuit donec mare rubrum,
 baptismi figuram, petranississet, ibi: *Nec un-*
quam ille ex spirituali petra bibisset, nisi ex figura
baptizatus fuisset: nec tibi aliquis veram potio-
nem, nisi verè baptizatus præbebit: panem Ange-
lorum ille post baptismum manducavit, tu autem
quomodo viventem comedas panem, nisi sumpto prius
hoc Sacramento? Denique saluum est, Diacona-
lem, vel Sacerdotalem ordinem prius institu-
tum fuisse, quam baptismum; nam licet ali-
qui Theologi Scholastici senserint, hoc sa-
cramentum, quatenus & materiâ, & formâ
constat, non fuisse ante resurrectionem insti-
tutum, quam sententiam probabilem esse sentit
 D. Thomas 3. p. q. 73. artic. 5. ad 4. Cano lib.
 2. de locis, cap. 5. & probat Rupertus lib. 8. in Joan.
 cap. 3. verior tamen sententia est, sacramentum
 baptismi ante Christi mortem institutum fuisse,
 immò & Apostolos eo tempore illum mini-
 strasse, ut docuerunt Theologi cum Magistro,
 & ibidem D. Thomas q. 1. artic. 5. alii relati à
 Vazquez 3. p. in 3. disput. 140. cap. 3. & declarat
 D. Augustinus tract. 5. in Joannem, dum docet,
 homines post baptismum Joannis susceptum,
 iterum baptismum Christi baptizatos fuisse: & ita
 Judam baptismum Christi suscepisse. Etiam id
 probatur ex cap. 3. D. Luca, cap. 1. D. Marci,
 ubi refertur, D. Joannem differentiam consti-
 tuisse inter suum baptismum, & baptismum
 Christi, dum agebat: *Ego quidem baptizo vos*
in aqua. Et ut de Christo loquitur, ait: Ipse vos
baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Quæ verba,
& igne, adjecit ad denotandam gratiam, & vir-
tutem interiorum baptismi. Illud tamen ex sa-
cra Scriptura, aut aliqua Ecclesiæ definitione
 non liquet, quo tempore Christus baptismum
 instituerit. Illa tamen communior sententia est,

quæ docet, hoc sacramentum fuisse institutum
 eo die, quo Christus Dominus baptizatus fuit,
 ut docent Magister in 4. dist. 3. D. Thomas
 communiter receptus 3. p. q. 66. artic. 2. & idem
 colligitur ex D. Ambrosio lib. 2. in Lucam, cap.
 final. Hieronymo in dialogo contra Luciferianos,
 n. 12. Damasceno lib. 4. de fide, cap. 10. & sua-
 detur ex eo, nam statim baptizato Christo, Joan-
 nes etiam ab ipso Domino baptizatus fuit, ut do-
 cet D. Hieronymus super Math. cap. 3. ubi ait,
 Christum à Joanne in aqua solum baptizatum
 fuisse; Joannem verò à Christo in Spiritu: at
 baptismus in Spiritu à Christo institutus est pro
 sacramento: ergo fatendum videtur, ab eo
 tempore baptismi sacramentum fuisse institu-
 tum; & ita non rectè arguebant, qui assererant,
 Sacerdotalem, vel Diaconalem ordinem prius
 institutum fuisse à Christo Domino, quam ba-
 ptismum: & per consequens manet pro comper-
 to, non baptizatum invalidè sacramentum Or-
 dinis recipere, & ita esse baptizandum, & denuò
 ordinandum.

Sed in hac parte exponendi sunt duo cano-
 nes difficiles, nec vulgò noti. Primus est ca-
 non. 19. Concilii Nicæni, in illis verbis: *De*
Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerunt,
status est, ut si omnino rebaptizentur: si qui
verò tempore præterito in clericorum numero erant,
si quidem à culpa, & reprehensione alieni visi fue-
rint, rebaptizari ordinentur à catholica Ecclesia
Episcopo: si verò examinatio eos non esse aptos de-
prehendat, deponere oportet. Ex quibus ultimis
 verbis deducitur, non baptizatos, & ordinatos
 esse baptizandos; & si quoad Ordinis exerci-
 tium eos non esse aptos Episcopus deprehendat,
 eos deponendos esse: igitur quia validè fuerant
 ordinati, aliàs quomodo deponendi erant? Cui
 difficultati Theodor. Balsamon. in notis ad ip-
 sum canonem duplici modo satisfieri posse existi-
 mat. Primò depositionis nomen ibi accipiendo
 abiviè pro expulsionè; non quia deponantur
 ab aliquo gradu, quem non habebant; sed quia
 repellantur ab eo, ad quem ascendere iterum vo-
 lebant. Secundò ait posse ea verba accipi de de-
 positione post baptismum, & iteratam ordina-
 tionem ab Episcopo Catholico faciendam; quo
 casu propriè & strictè depositio dari potest.
 Secundus est canon 14. Concilii Matiscen. 1.
 in illis verbis: *Ut Judæi à cana Domini usque ad*
primam diem post Pascha, secundum edictum bo-
na recordationis Domini Childeberti Regis, per
platea, aut forum, quasi insultationis causâ, de-
ambulandi licentia denegetur, & ut reverentiam
cunctis Sacerdotibus Domini, vel Clericis impend-
ant, nec ante Sacerdotes confessum, nisi ordinati,
habere præsumant. Qui hoc facere fortasse præ-
sumpserit, à iudicibus locorum, prout persona fuerit,
distringatur. In quibus dum docetur, ne Judæi
 ante sacerdotes confessum habere præsumant,
 nisi ordinati, videtur supponi, Judæos posse ordi-
 nari, & per consequens non præcedente baptismo
 sacramentum Ordinis recipi posse. Pro cuiusca-
 nonis expositione existimo, in eo verbum illud, *or-*
dinati, non accipi pro initiatis majoribus, aut mi-
 noribus ordinibus ecclesiasticis, sed potius pro
 Judæis ordinatè confessum habentibus: & si di-
 camus eos gradu aliquo ordinatos esse, suppo-
 nendum erat fuisse baptizatos.